

P. Suarez lib. VIII de Angelis, c. XI, dicit obstinationem dæmonum oriri ex misero statu quem habent, adjuncta naturali conditione, et fragilitate voluntatis creatæ, suis tantum viribus relictæ, sine ullo gratuito vel morali dono, cum solo physico concursu generali. Miserrimam autem illius status exaggerat per conditiones ad illum concurrentes, sicut continua consideratio malorum quæ patiuntur, bonorum quæ amiserunt, peccati quod commiserunt, communem odium Dei, quem vix apprehendunt, ut beneficium, sed ut punientem, ita ut ipsum esse quod eis dat non reputent beneficium: potius enim vellent non esse, quam sic esse. Ex quibus infert hanc impossibilitatem operandi bonum in quo obstinatio consistit, non esse physicam, sed moralem, tantam tamen, ut oppositum infallibiliter nunquam eveniat, sicut homini lapsò impossibile est omnia venialia collective vitare. Quod si majorem impossibilitatem velimus illi obstinationi tribuere, necesse est denegationem auxilii generalis ad omne bonum eis tribuere. Certe in hoc modo dicendi illud desideratur, ut explicetur tandem, an denegetur eis, et subtrahatur omne auxilium sufficiens inter tot miserrimas illius status; quia si denegatur, restat explicare punctum difficultatis, quomodo eis imputetur peccatum. Si non denegatur, est contra D. Thomam et non est illa obstinatio carentia omnis auxilii, sed tantum efficacia, quod etiam datur in hac vita.

Quare dicendum est quod auxilium sufficiens cum constet ex multis concurrentibus ut potentia constituatur proxime potens, et expedita ad agendum, aliquid pertinens ad auxilium sufficiens datur damnatis, et aliquid denegatur. Concurrit autem ad rationem auxilii sufficientis

aliquid ex parte cognitionis quasi speculativæ, qua cognoscitur ipsum bonum etiam supernaturale, et iudicatur de ejus convenientia, aut excellentia secundum se, et quasi in abstracto, quæ est cognitio arida, et non affectiva, nec inclinativa affectus, sufficiens tamen ad formandum dictamen indifferens: hoc enim non semper formatur ex objectis quibus afficimur, sed etiam ex his quibus dissentimus, ita quod unum extremum representatur contrarie ad alterum, unum ut abominandum, aliud ut amandum. Concurrit secundo ex parte auxilii sufficientis cognitio affectiva, seu excitativa voluntatis, licet inefficaciter, respectu consensus, inspiratio etiam in ipsam voluntatem, non qua de facto consentiat, sed qua paulatim disponitur voluntas ad consentiendum: sæpe enim sentimus aliquas in voluntate dispositiones, et excitationes ad bonum, quas tamen repellimus, et ad effectum non perducimus, et tales non perveniunt ad vim gratiæ efficacis, sed manent in vi sufficientis auxilii, sed tamen plus habent quam sola, et arida cognitio boni secundum se, et quasi in abstracto. Denique serviunt ad auxilium sufficiens etiam habitus infusi, sicut fidei, et spei, piæ affectionis, et si qui alii qui etiam in peccatore possunt reperiri: serviunt externæ suasiones, bona exempla, Sacramenta, etc. His sufficientibus auxiliis quæ uno verbo vocamus auxilium sufficiens affectivum, omnino privatur diabolus, et spiritus damnatus. Sic enim docet S. Thomas in hac quæstione LXIV, art. I, quod: «Cognitio affectiva totaliter est ablata a dæmonibus,» non illa quæ in speculatione consistit, etiamsi supernaturalis sit. Et hoc congruit illi miserrimo statui in quo nullus ordo utique, nec ordinatio ad bonum, sed sempiter-

nus horror inhabitat. Quod autem hæc affectiva cognitio pertineat ad auxilium sufficiens, et non ad efficacem, patet quia non habet infallibiliter annexum ipsum effectum, sed sistit in puro affectu, seu dispositione inclinante affectum, et consequenter se habet in actu primo respectu consensus, quod est pertinere ad auxilium sufficiens. Quod vero ad salvandam libertatem sufficiat cognitio indifferens pro utroque extremo, licet non sit inclinativa nec affectiva ad utrumque, sed ad unum tantum, constat ex dictis, quia aliquando proponuntur duo contrarie opposita, unum ut fugiendum, et abominandum, aliud ut prosequendum, quia opposita sunt: ergo non requiritur cognitio affectiva erga utrumque, sed sufficit affectiva erga unum, et cognoscitiva tantum erga alterum, licet in abstracto, et quasi speculative, quia ad libertatem sufficit potentia indifferens remota, ita quod non se habeat coacte ad aliquod extremum, licet desit illi potentia proxima ad sequendum alterum ex parte inclinationis, et affectus circa tale objectum. Licet autem potentia voluntatis sit vis elicitiva utriusque actus, sive boni, sive mali, et hæc maneat in dæmonibus quantumcumque obstinentur; et similiter licet objectum hujus potentiæ sit bonum cognitum, et propositum, et hoc etiam maneat in dæmonibus, qui cognoscunt objectum bonum a quo aversi sunt: si quidem illud odio habent, tamen ultra hoc requirunt vires in voluntate quibus proxime reddatur potens, id est, proportionata, et coaptata erga hoc objectum ut ponderet, et inclinetur in illud. Inclinatur autem, et vires sumit voluntas per affectum, quia vires istæ sunt ad ponderandum, et inclinandum in aliquod objectum, et pondus, seu vis illa ponderativa non

est aliud quam affectus, juxta illud Augustini: «Pondus meum amor meus.» Et sicut intellectus accipit ex cognitione, et illustratione principiorum vires per modum luminis ad penetrandas, et inferendas conclusiones, ita voluntas ex affectu finis redditur ponderans, et vires habens ad ea quæ ex fine deducenda sunt. Unde ipsa inspiratio qua Deus voluntati dat affectum, et suavitatem, et coaptat voluntatem erga aliquod objectum, sunt vires gratiæ, quibus homo potest operari, sicut illustratio principiorum dat vires intellectui ad inferendum conclusiones. Et e contra privatio istius affectus, et suavitatis, seu proportionis voluntatis erga bonum, est absentia gratiæ, qua induratur voluntas, et manet sine viribus, quasi intellectus sine principiis, et visus sine luce erga objecta appetenda.

VII. Ex quibus manifeste explicatur quomodo obstinata voluntas maneat libera ad peccandum, sibi imputetur peccatum, et tamen careat omni auxilio sufficienti, et potentia proxima, seu viribus gratiæ ad volendum quodcumque bonum honestum. Nam voluntas obstinata manet potens, et indifferens ad utrumque objectum bonum, et malum in ratione potentiæ volitivæ physice, et manet cum cognitione utriusque objecti: et ex hac parte retinet totam suam libertatem ad utriusque volitionem, plenamque indifferentiam, sive ulla coactione. Sed tamen caret omni incitativo, et affectivo ad bonum honestum, etiam naturalis ordinis, ideoque privatur omni gratia, et auxilio disponente, et inclinante, seu afficiente ad bonum. Et sic manet privata etiam in actu primo, et in præparatione omnibus viribus, et auxilio sufficienti affectivo ad bonum, omnique inspiratione ad bonum. Et hoc sufficit ut dicatur simpliciter non posse



converti diabolus ad bonum, non solum quia difficile, sed quia simpliciter non potest, sicut Augustinus, et patres, et Concilia dicunt contra Pelagium, quod sine gratia non solum difficile, sed simpliciter, non potest homo converti, et operari bonum. Et nomine gratiæ intelligebant contra ipsum Pelagium non solum ipsam voluntatem, seu potentiam liberam, quæ physice est indifferens ad velle, et non velle, nec solum legem, aut etiam prædicationem externam vel internam, qua homo accipit cognitionem objecti boni, sed etiam subministrationem spiritus, qua affective homo tangitur, et proponuntur sibi res modo affectivo, et sine tali auxilio afficiente, et inclinante homo non habet vires, et non solum difficile non potest, sed simpliciter non potest converti. Si ergo damnati carent omni cognitione affectiva, et inspiratione voluntatis ad bonum tam formaliter, quam in præparatione Dei oblata, non solum difficile, sed simpliciter non possunt operari bonum, carentes omnibus viribus ad bonum. Et quidquid sit, an ista inspiratio, et affectiva cognitio qua carent, sit aliquid morale, vel physicum, tamen illud tale est, quod sine ipso simpliciter non possunt, et non solum difficile. Unde cavenda est æquivocatio illius termini moraliter quando dicitur, quod moraliter non possunt operari bonum, bene tamen physice. Si enim intelligatur per ly moraliter, quod non possunt morali, id est, ordinario, et facili modo, possunt tamen aliquo modo, licet difficile, negandum est quod solum moraliter non possint, prout ly moraliter opponitur huic quod est simpliciter, quidquid sit de morali ut opponitur physico, sed dicendum est quod simpliciter non possint, sicut dicitur contra Pelagium, quod simpli-

citer sine gratia non possumus facere bonum, quidquid sit an illa gratia morali modo moveat, vel physico.

INFLEXIBILITAS ANGELI IN MALO, VEL BONO POST PLENAM ELECTIONEM, ET JUDICIUM.

VIII. Veniamus ad causam intrinsecam obstinationis, seu ex parte Angeli se tenentem, quæ difficilior a plerisque intelligitur. Nam D. Thomas in hac quæstione LXIV, art. II, assignat pro causa obstinationis Angeli ejus inflexibilitatem seu immobilitatem, tum in cognoscendo, tum in appetendo. Dicitur enim Angelus immobiliter apprehendere, quia sine discursu, quippe cum in ipsis principiis immediate videat conclusiones; et ideo illis ita perfecte adhæret, sicut primis principiis, quia per comprehensionem principiorum illas videt. Voluntas similiter, quia regulatur per intellectum, immobiliter vult quod immobiliter repræsentatur bonum, sicut est bonum in communi; bona autem particularia mutabiliter vult, si mutabiliter etiam repræsententur, sed si eodem actu, et comprehensione qua repræsentatur bonum in communi, accipiatur bonum particulare, et voluntas eodem actu, et impetu quo fertur in finem in communi feratur in bonum particulare, tam inflexibilis erit circa particulare, cui semel adhæret, quam circa bonum in communi cui naturaliter afficitur, nec potest mutari circa conclusiones, nisi mutetur circa principia, nec circa bona particularia, nisi circa bonum in communi.

IX. Hæc doctrina multis difficilis visa est, si in eo rigore sumatur quod Angelus ab eo quod semel

perfecte judicat, aut vult, simpliciter non possit reverti secundum naturam suam: solumque istam doctrinam D. Thomæ admittunt quoad hoc quod Angelus difficile possit reduci, et retractare id quod semel intellexit et voluit, quia cum perfectæ cognitionis sit, non facile mutat sententiam: omnis enim mutabilitas in sententia, et in affectu ad quemdam defectum spectat, et turpe reputatur etiam apud homines, quia id videtur ex quadam ignorantia, seu inadvertentia oriri, quia non satis attenditur in principio ad id quod sentiendum, vel volendum est. Certe Angelus advertenter vidit se ita amare propriam excellentiam, quod ex certa scientia recusabat ex gratuito beneficio habere gloriam supernaturalem. Si ergo tota supernaturalis gloria eum non potuit movere a sententia sua de sequenda propria excellentia, quid reliquum erit, quo ab ea possit divelli? Cæterum quod ex ipsa natura, et naturali modo agendi in Angelo sit simpliciter ei impossibilis ista retractatio, et reductio, multi nolunt tenere, nec in eo sensu accipiunt doctrinam hanc D. Thomæ, sed solum quod sit valde difficile. Ita Suarez lib. VIII de Angelis, c. XI; Vasquez hic disp. CCCXXXIX, c. III et IV; Valentia, hic quæst. XV, puncto II; Arrubal disp. CLXXX, c. II; Curiel lib. II controvers. controv. V, et ex antiquis Scotus in II, distinct. VII, et alii ibidem. Oppositum autem, scilicet D. Thomæ doctrinam in toto rigore esse explicandam, scilicet quod Angelus non solum difficile, sed simpliciter non possit reduci, neque retractare id quod semel judicavit, et cui ex plena electione adhæsit, tenent communiter discipuli S. Thomæ, Cajetanus ad articulum secundum hujus quæstionis LXIV, et ibi Nazarius controv. I; Bagnez dub. I; Ferrariensis IV

contra gentil. c. XCXV; Capreolus in II, dist. VII, qu. I; Carmelitani Salmanticenses tr. VII de Angelis, disp. XIII, dub. I; Navarrete tomo III, controv. LXXXIV.

X. Dicimus ergo quod Angelus post electionem, seu resolutionem positam circa aliquod objectum non potest juxta connaturalem suum modum operandi retractare, seu mutare judicium, seu affectum, et adhæSIONEM ad tale objectum, quod est ex modo suo connaturali manere inflexibilem, et simpliciter non posse converti. Ad quem modum sic connaturaliter procedentem consequitur quod juxta illum non debetur Angelo sic peccanti, et inflexibiliter adhærenti aliqua gratia ut convertatur, quod est manere obstinatum in malo, et juxta suam pessimam dispositionem omni gratia privari. Antequam vero Angelus resolute eligat, seu adhæreat alicui parti, se movendo, et ordinando ad illam, potest mutare judicium, et voluntatem. Assertio hæc docetur clare quoad utramque partem a D. Thoma in hac quæstione LXIV, art. II, et qu. XVI de malo, art. V et qu. XXIV de veritate, art. X, et IV contra gentil. c. XCXV, et videri etiam potest in II ad Anibaldum, dist. VII, qu. I, art. II, et in aliis sententiariis, ibidem. In quibus omnibus locis reducit hanc immobilitatem D. Thomæ ad unum principium, scilicet quia naturalis modus procedendi in Angelo est modus ita perfectus, et comprehensivus, quod eodem actu, et tendentia qua fertur in principia, fertur in conclusiones, et qua fertur in fines, fertur in media. Unde si resolute adhæret conclusionibus, et mediis tanta immobilitate fertur in unum, sicut in alterum, quia indivisibili, et unica tendentia: ergo tam impossibilis est in Angelo resolutorie, et determinate procedente reversio,



et retractatio conclusionum, sicut principiorum, mediorum quam finium. Ergo sicut nos immobiliter nos habemus in actu syndæresis circa principia practica universalialia, et in voluntate circa finem in communi, sic se habet Angelus respectu omnium eorum, quæ sub fine in communi continentur, quando vult determinate, seu resolute, et per electionem se habere erga illud.

XI. Et pro hujus explicatione advertite, quod immobilitas ista, et inflexibilitas Angeli non consistit in immobilitate actus quoad exercitium, sed quoad specificationem. Nec enim Angelus quando aliquid determinate eligit, ita necessatur quoad exercitium, quod non possit unquam cessare ab illo actu, sicut beatus in actu amoris Dei. Non hoc dicimus, neque hoc est necessarium ad rationem inflexibilitatis, et irreducibilitatis, sed solum dicimus quod illud motivum, quo determinate elegit, non potest mutari in Angelo in contrarium, sed manet quoad illud, ita immobilitatus, sicut circa ipsum finem, et bonum in communi, quia eo tamquam motivo indivisibili utitur, et extenditur ad determinandum, et resolvendum se circa id quod eligit. Secundo advertite, quod hæc inflexibilitas in Angelo non dicitur ex natura ipsa sic convenire quod nec de potentia absoluta tolli possit a Deo, et converti voluntas Angeli ad oppositum ejus quod semel voluit: hoc enim nullo modo dici potest in sententia D. Thomæ qui expresse fatetur posse Deum mutare voluntatem Angeli peccantis in bonum: dicit enim sic in quæstione xvi de malo, art. v ad xiii quod: « Movere voluntatem solus Deus potest, qui etiam secundum absolutam potentiam posset mutare voluntatem dæmonis in bonum, sed tamen hoc non congruit naturæ ipsius, ut dictum est. » Quare inflexi-

bilitas ista in Angelo solum intelligitur secundum modum naturalem operandi ejus, quia ita indivisibili modo tendit in finem, et in ea quæ ex fine eligit, et determinate vult, quod non alia, nec minori immobilitate adhæret fini, quam mediis, seu rationi formali tendendi ad finem, et rei illi quam accipit pro fine. Et generaliter loquendo omnis determinatio, et adhæsiō Angeli sive in intellectu, sive in voluntate ex ipso naturali modo operandi, immobilis est, quia modo immobili fit, id est, eadem indivisibili tendentia, et comprehensione, qua fertur in principia, vel in finem.

XII. Denique, advertendum est, quod Angelus in his quæ judicat, aut vult, aliquando procedit cum plena determinatione, et comprehensione, aliquando non, sed ductus conjectura aliqua, et in re non plene a se cognita. Tunc autem dicitur procedere cum plena determinatione, et resolutione, quando circa aliquid procedit ex aliquibus principiis sibi evidentibus, aut certo cognitis, ratione quorum convenit sibi comprehensive procedere, et attendendo ad omnia quæ possunt convenientiam rei proponere, aut ab ea retrahere. Principia autem evidentibus Angelo cognita sunt principia naturalia, quantum ad lumen naturale, et principia certo cognita, sed non evidentibus sunt principia supernaturalia fide divina cognita, quibus adhæreret Angelus ex gratia supernaturali, si vult uti tali lumine, sed si non vult illo uti, sed ex adhæsiōne ad naturalia principia, quæ evidentibus cognoscit, et comprehensive, et vult recusare supernaturale lumen, et ab illo se subducere, non quidem dissentiendo aut reputando falsas res fidei (sic enim esset hæreticus) sed non regulando per fidem suas actiones, talis adhæsiō cum recusatione rei superioris

est plene determinata, et recusatio illa plene volita, quia consequitur ex adhæsiōne facta ad rem naturalem comprehensive in suis principiis cognitam: tunc autem iudicium Angeli non est plene determinatum, neque ex adhæsiōne, et consequenter revertibile, quando non ex principiis quæ cognoscit evidentibus, et comprehensive, sed ex quibusdam conjecturis, aut aliis effectibus non plene manifestantibus causas judicat aliquid, aut sentit; et sic etiam vult, sicut sentit. Hoc enim iudicium sic formatum ex talibus principiis non est firmum; et sic non facit adhæsiōnem, nec inflexibilitatem inducit. Et hoc ita ponendum esse in Angelis patet ex doctrina D. Thomæ, qua docet inter Angelos etiam bonos posse esse pugnam, et discordiam, non voluntatum, sed opinionum, quatenus secundum contraria merita, vel demerita judicant diversimode aliquid convenire non cognoscendo super hoc plene divinam voluntatem, quam tamen consulunt, et juxta ejus instructionem concordantur, ut docet infra qu. cxiii, art. viii, et in ii, dist. xi, qu. ii, art. v. Et sic necesse est alterum eorum, vel utrumque mutare iudicium, si ante erant discordes, et post consultam Dei voluntatem concordantur. Nec tamen aliquis eorum fallitur, etiam si discordes sint, inquit D. Thomas citato loco ex distinctione resolutione ad iv, quia: « Ei quod nesciunt, per iudicium non adhærent, ideo falli non possunt, sed secundum contrarietatem rerum quæ in iudicium divinum veniunt contrarietates inter eos memorantur. » Ecce quomodo ex rebus quas non comprehendunt, sed nesciunt quoad latentiores causas, licet cognoscant exteriores illos effectus, seu actus qui sunt merita, vel demerita, non formatur adhæsiō iudicii, imo neque iudicia con-

traria proprie, sed solum contrarietates inter eos memorantur, quasi narrando, et proponendo, magis quam plene iudicando. Et sic tale iudicium non est adhæsiō, sed mutabile.

XIII. His suppositis, ratio, et fundamentum S. Thomæ explicatur sic, quia Angelus utens ad aliquam determinationem seu resolutionem principiis sibi naturaliter, et evidentibus notis, ad omnia quæ per talia principia attingit, fertur unica, et indivisibili tendentia, et tanta perfectione, seu firmitate, et immobilitate attingit contenta sub talibus principiis, atque attingit ipsa principia, ita quod non potest ex talibus principiis novas rationes elicere, nec alia habet quibus juvetur ad immutandum illud dictamen, quia comprehensive procedit ex vi talium principiorum; et sic nihil eum latet, sed totum considerat quod ad talia principia ullo modo pertinere potest: Angelus autem in deliberando de fine usus est principiis naturaliter notis, et a se comprehensis, non solum pro appetenda excellentia propria, sed etiam pro recusanda, et excludenda directione luminis supernaturalis, a qua posset dirigi ad rectum finem: ergo ex vi naturalis modi procedendi mansit irreducibilis Angelus, et inflexibilis, non solum circa bonum quod appetit, scilicet circa propriam excellentiam, sed etiam circa regulam quam recusavit, et inconsiderationem seu neglectum rei supernaturalis, quem voluit habere. Hoc enim maxime observandum est in doctrina ista D. Thomæ quod ipsamet inconsideratio Angeli, et recusatio regulæ superioris fuit volita, et prævisa, et a se iudicata conveniens, claudens voluntarie oculos suos, seu recusans lumen cœlesti, et supernaturale, juxta illud Job xxiv: *Ipsi fuerunt rebelles lumini, nescierunt*